PHYLARCHI

HISTORIARUM RELIQUIÆ

EDIDIT

A. BRUECKNER,

GYMNASII SUIDNICENSIS CONRECTOR.

VRATISLAVIAE,

APUD GEORGIUM PHILIPPUM ADERHOLZ.

MDCCCXXXIX.

HENR. CAROLO ABR. EICHSTADIO,

THEOL. ET PHILOS. DOCTORI

ORD. SAX. VIM. FALC. ALB. EQUITI, M. DUCIS SAX. A CONSIL. AUL. INT.

ELOQUENTIAE, POESIS ET LITERARUM ANTIQU. IN UNIVERS.
IENENSI PROFESSORI

VIRO CLARISSIMO AC PRAESTANTISSIMO

SACRUM ESSE VOLUIT

AUCTOR.

PROLEGOMENA.

Inter Xenophontem ac Polybium qui rebus, quas illustrarunt commentariis suis, ipsi suppares historiarum auctores exstiterunt, quamquam et multi fuerunt nec plane contemnendi, fere omnes tamen interierunt. Fragmentorum vero eorum, quae aetatem tulerunt, non plane exigua copia est, eaque si exspectationi, quam ejusmodi fortasse reliquiae movent, ad rerum aut ad sententiarum gravitatem non usquequaque satisfaciunt, ad literarum tamen historicarum, quales ea aetate fuerunt, rationem cognoscendam conferre nonnihil posse videntur. Sic Phylarcho quoque quam operam tribuimus per hanc scriptionem, defendi quodammodo posse ipsaque illa, quam a Polybio expertus est, judicii acerbitate commendari adeo videtur. Non desunt enim, quae suspectum illud judicium reddant et assensionem nostram cohibere ante nos jubeant, quam satis omnia examinaverimus.

Proficiscendum nobis est, quum alii fere vel de vita vel de operibus Phylarchi fontes desint, a Suida cujus s. v. *Φύλαρχος* haec sunt verba: *Φύλαρχος Ἀθηναῖος ἢ Ναυκρατίτης· οἱ δὲ Σικυώνιον, ἄλλοι δὲ Αἰγύπτιον ἔγραψαν· ἱστορικός· τὴν ἐπὶ Πελοποννήσου Πύῤῥου τοῦ Ἠπειρώτου στρατείαν ἐν βιβλίοις κή, κατάγει δὲ καὶ μέχρι Πτολεμαίου τοῦ Εὐεργέτου κληθέντος καὶ τῆς Βερενίκης τελευτῆς, καὶ ἕως τοῦ θανάτου Κλεομένους τοῦ Λακεδαιμονίου, ἐπιστρατεύσαντος αὐτῷ Ἀντιγόνου. Τὰ κατὰ τὸν Ἀντίοχον καὶ τὸν Περγαμηνὸν Εὐμένη· ἐπιτομὴν μυθικὴν περὶ τῆς τοῦ Διὸς ἐπιφανείας· περὶ εὑρημάτων, παρεμβάσεων βιβλία θ΄.* In quibus praeter *στρατιάν*, quod ab aliis jam correctum est in *στρατείαν*, *Κλεωνύμου* mutavi in *Κλεομένους*, et *αὐτοῦ* post *ἐπιστρατεύσαντος* in *αὐτῷ*.

Pro Phylarcho passim Philarchus legitur v. c. apud Plutarchum Tom. II. p. 345. E., apud Euseb. Praep. Evang. p. 156 et 164 (recte reprehens. ab interpr. Porphyr. de abst. c. 56.) et in varietate lectionis ap. Athenaeum (v. Schweighaeuser ad VI, p. 255, F. ad XIII. p. 606, D.), satis manifesto autem vitio. Minus fortasse tolli possit quae de patria Phylarchi dubitatio est. De qua praeter Suidam Athenaei exstat testimonium (II. p. 58, C.) e quo ambigebatur tantum, num Atheniensis esset an Naucratita (*Φύλαρχος ὁ Ἀθηναῖος ἢ Ναυκρατίτης*). A Suida quod Aegyptius simul et Naucratita dicitur, eodem redit. Sicyonius autem non sine caussa dici potuisse videtur. Unde ad eos, augurari fortasse licet, Phylarchum referendum esse, quos consociata Sicyone cum Achaeorum foedere cessisse urbe sua credibile est [1], sive quod Dorienses nollent iisdem cum Achaeis legibus uti, sive alia quacunque de caussa; unde dici possit refugium quaesivisse Athenis, et his quoque adjunctis societati Achaeorum, Naucrati in Aegypto. Aequalem eum fuisse rebus, quas in libris historiarum narravit, e Polybio apparet (II, 56. *ἐπεὶ δὲ τῶν κατὰ τοὺς αὐτοὺς καιροὺς Ἀράτῳ γεγραφότων παρ' ἐνίοις ἀποδοχῆς ἀξιοῦται Φύλαρχος, ἐν πολλοῖς ἀντιδοξῶν καὶ τἀναντία γράφων αὐτῷ*), eodem atque Plutarcho teste aeque obtrectavit Arato, quam effuse laudavit Cleomenem Lacedaemoniorum regem, Arati adversarium.

Operum, quae in lucem emisit Phylarchus, clarissimum haud dubie id fuit, quod memoravit Suidas libris octo et viginti ab eo compositum esse; in quo quod susceptam a Pyrrho in Peloponnesum expeditionem narravisse eamque ad Ptolemaei usque Evergetis ac Berenices atque Cleomenis, Lacedaemoniorum regis, qui bello ab Antigone petitus fuerit, mortem deduxisse fertur, et exordium ejus et finis significari videtur. Suidae tamen verbis, ne ipsis quidem admodum accuratis [2],

---

1) Expulso Nicocle tyranno et reductis per Aratum exsulibus, magna inter Sicyonios perturbatio erat. Plutarch. Arat. c. 9. *Ταραττομένην ὑφ' αὑτῆς καὶ στασιάζουσαν* civitatem Aratus habebat. Nec placuit hoc omnibus, quod auctore eo *Δωριεῖς ὄντες ὑπέδυσαν ἑκουσίως ὄνομα καὶ πολιτείαν τὴν Ἀχαιῶν.* cf. c. 12. init.

2) Vide quae miro modo disputavit Sevin Mem. de l'acad. des inscr. Tom. VIII. p. 119.

ut fidem habeamus, aliorum simul, si qua sunt, testimonia perpendamus opus est. Ac de fine quidem operis explorata omnia videntur. Apparet enim e Polybio II, 56 (ὅσα δὲ συνεπιβάλλει τοῖς ὑφ᾽ ἡμῶν γραφομένοις καιροῖς, ταῦτα δ᾽ ἐστὶ τὰ περὶ τὸν Κλεομενικὸν πόλεμον, ὑπὲρ τούτων ἀναγκαῖόν ἐστιν ἡμῖν διευκρινεῖν), historiam eum suam non multum ultra bellum Cleomenicum persecutum esse. Neque de librorum numero dubitari posse videtur. Octavum enim et vicesimum, qui postremus fuit e Suidae testimonio, laudat Athenaeus VI. p. 251. C, et ita laudat, ut quae de Apollophane isto, Antigoni adulatore, traduntur, vix alio nisi ad victoriam ad Sellasiam referri possint. Certum praeterea est e tribus ab eodem Athenaeo servatis fragmentis, postremos libros de Cleomene et de rebus Lacedaemoniorum egisse (VI, p. 271, E. XII, p. 521, B. IV, p. 141, F). De initio destituti sumus ejusmodi testimoniis. Pyrrhi in Peloponnesum expeditionem traditam esse a Phylarcho, e Plutarch. Pyrrh. c. 27 patet, ubi de fossae, qua munierant Lacedaemonii urbem suam, modo hujus et Hieronymi Cardiani inter se testimonia comparantur; dubium vero, num initium inde opus ceperit, an prooemio quodam eoque fortasse ampliori, quale postea Polybium quoque confecisse videmus, de rebus expositum fuerit paullo antea vel ab Alexandro M. vel a successoribus ejus gestis. In tertio libro sermo erat (Athen. VIII. p. 334, A.) de Patroclo, quem classis ducem Ptolemaeus Lagi plus decem annis ante illam Pyrrhi expeditionem Atheniensibus contra Antigonum Demetrii filium auxilio miserat. Paus. I, 1, 1. Sed multa quoque per digressionem inserta fuerunt: sic quae ap. Athen. XII. p. 539 e libro tertio et vicesimo de luxuria Alexandri et comitum ejus traduntur, et alia plura, quorum in fragmentis se exempla offerent.

Suidae si porro verba sequimur, quattuor praeterea vel quinque scriptiones Phylarchus reliquerat de rebus Antiochi et Eumenis Pergameni, epitomen mythicam, de Jovis adventu (περὶ τῆς τοῦ Διὸς ἐπιφανείας), de inventis, denique παρεμβάσεων libros novem. Magnis autem iisque vix explicabilibus hic locus difficultatibus laborat. Eumenes enim ille cogitari non potest nisi is, qui Philetaerum patruum in imperio Pergami secutus, ab Seleucidis quum defecisset, victoria, quam de Antiocho Seleuci Nicatoris filio ad Sardes reportavisse dici-

tur, libertatem feliciter defendit [3]. Memoratu haud dubie res dignissima fuit, sed dubium tamen, num singularem Phylarchus de ea scriptionem ediderit. Nihil enim victoria ista effectum est, nisi ut repelleretur Antiochi impetus, et crescere magis opibus tum demum Pergamenorum imperium coepit, postquam qui Eumenem secutus est Attalus, superatis cum Antiocho Hierace Gallis, regium etiam nomen affectavit. Quibus regni illius initiis etsi superstes adhuc Phylarchus fuit, non ita magni tamen ei momenti fuisse videntur, ut de originibus ejus peculiari libro exponeret. Accedit, quod Eumenem istum Phylarchus, si quidem Asiaticas res cum Graecis consociabat, in majori opere suo nullo modo silentio transire poterat, ut qui ad eam ipsam aetatem pertineret (Ol. 129), quam illustrandam sibi sumsisset. Hinc illa, quae Suidas dixit, de Antiocho et Eumene Pergameno non fuisse probabile est, nisi aliquam majoris illius operis partem, seorsim laudatam, ut Theopompi de demagogis Atheniensium et de rebus mirabilibus libri (Theopomp. ed. Wichers, p. 29) laudantur.

Sequentia verba *ἐπιτομὴν μυθικὴν περὶ τῆς τοῦ Διὸς ἐπιφανείας* quaerere primum licet, num seorsim accipienda sint, ita ut Phylarchus et universam mythorum epitomen et de Jovis adventu librum singularem confecisse dicatur, an conjunctim, ut de Jovis adventu epitome mythica intelligatur. Epitome mythica per se Apollodori bibliothecae instar compendium historiae mythicae fuerit. Hujusmodi vero opus jure dubitaveris, num Phylarchi jam aetati conveniat. De Jovis autem adventu liber quid sit, nemo facile extundat, nisi de fabulis cogitetur, quibus in conspectum se hominibus dedisse Jupiter dicitur (cf. Dionys. H. VIII, 56), quae tamen interpretatio pluralem *περὶ τῶν τοῦ Διὸς ἐπιφανειῶν* flagitaret. Nec melius explicaveris mythicam de Jovis adventu epitomen. Levantur fortasse difficultates, quum pro *περί* etc. substituentes *ἀπὸ τῆς τοῦ Διὸς ἐπιφ.* epitomen mythicam inde ab Jovis adventu intelligamus. Fabularum atque historiarum confinia quum difficile esset discernere, ad consectandas vero illas qui tum fuerunt auctores, miro modo

3) Strabo XIII, c. 4, p. 148 ster. Idem videtur Eumenes, quem per errorem Justinus Bithyniae regem dixit (XXVII, 3) et Pausanias cum Attalo confudit (I, 8, 1. 2). Flathe, Mac. hist. II, p. 202. 221-223.

propenderent, tum proficisci solebant a mythicis temporibus [3b], tum occasio ubi data esset, ad ea recurrere. [4] Sic epitome illa mythica caput intelligi possit mythologicum a condito Jovis sive deorum Olympiorum regno initum.

His si addimus, quod praeter ampliorem illam historiam non est e Phylarchi libris, qui feruntur apud Suidam, qui ab alio ullo scriptore memoretur, quamquam locorum, qui servati sunt ex eo, multi sane ejusmodi sunt, ut ex minoribus potius ejus scriptis desumta videantur, non nimium fortasse aberrabimus a vero, si Suidam aut quoquo hic fonte usus est, statuamus eadem ratione singulares quasdam partes operis enumerasse, qua res referendas esse putavit, quae initium ac finem effecissent. Hinc colligi simul videtur, quid de illis faciendum sit libris *παρεμβάσεων*, quae lectio manifesto se corruptam prodit. Scribendum esse suspicor *περὶ εὑρημάτων παρέκβασιν βιβλίῳ θ'* „de inventis digressionem libro nono".

Phylarchus pariter atque Clinodemus, Diyllus, Philochorus a Plutarcho (bellone an pace clariores Athen. fuerint p. 345, E) ad eos refertur historicos, qui *ἀλλοτρίων γεγόνασιν ἔργων ὥσπερ δραμάτων ὑποκριταί, τὰς τῶν στρατηγῶν καὶ βασιλέων πράξεις διατιθέμενοι καὶ ταῖς ἐκείνων ὑποδυόμενοι μνήμαις, ἵνα ὡς αὐγῆς τινος καὶ φωτὸς μετάσχωσιν.* Carebat igitur iis historici virtutibus, quibus eos tantum, qui rebus ipsi gerendis interfuerint, praeditos esse, insigni quodam loco Polybius dixit. Plato enim ut res humanas tum tantum bene judicaverit administrari, quum aut regnent philosophi, aut reges philosophentur, ita historiam nonnisi pulchre scribi, *ὅταν ἢ οἱ πραγματικοὶ τῶν ἀνδρῶν γράφειν ἐπιχειρῶσι τὰς ἱστορίας, ἢ οἱ γράφειν ἐπιβαλλόμενοι τὴν ἐξ αὐτῶν τῶν πραγμάτων ἕξιν ἀναγκαίαν ἡγήσωνται πρὸς τὴν ἱστορίαν* (XII, 28, 3). Quod ut concedamus ita verum esse, ut neque Thucydides, neque Xenophon, neque ipse denique Polybius, sine illo, quo fuerunt in gerendis rebus, usu eandem in narrandis iis artem praestitissent, Phylarchi tamen inde non magis quam plurimorum

---

3b) Heyne Apollod. Tom. I. p. XXXV.

4) Valde conquestus est de hoc more Polybius, historicis suae aetatis nimium istud rerum mythicarum (genealogiarum) studium plus uno loco exprobrans.

aliorum historicorum laus imminui videtur. Graviora sunt, quae praeterea reprehenduntur, quod nec alienus fuerit a partium studio et tragicorum poetarum instar in augendis rebus animisque lectorum commovendis magis sibi quam in veritatis studio placuerit. De his quae dicenda sunt, quum ad libros fere posteriores pertineant, de quibus quae Polybius retulit, singularem requirere disquisitionem videbantur, seorsim mox explicabuntur. Nunc illud tantum meminerimus, a Theopompi inde aetate vulgare imprimis per Graeciam fuisse historicorum genus, qui ex rhetorum disciplina profecti, in libris quoque suis magis oratores quam historicos agerent, atque ornatum potius ac splendorem quam fidem rerum spectarent. Ad quos scriptores, quorum non uno loco Polybius levitatem accusavit, suspicari licebit, Phylarchum quoque referendum esse, quamvis oratio ejus nec ad compositionem verborum nec ad Attici sermonis castitatem severioribus earum rerum censoribus satis probaretur [5].

De ratione et consilio totius operis e fragmentis, quae aetatem tulerunt, vix est, quod aliqua cum probabilitatis specie disputari possit. Quorum quum plurima ex iis locis deprompta sint, qui a Phylarcho nonnisi per digressionem recepti videantur, tantum abest, ut rerum ab eo traditarum conspectum quendam exhibeant, ut ne conjecturis quidem de eo faciendis locus sit. Extremae tantum parti ejus lux quaedam affunditur eo, quod et Polybius narrata quaedam a Phylarcho examinanda et refellenda sibi esse putavit, et Plutarchus in Agidis et Cleomenis vitis e Phylarchi potissimum libris hausisse sua videtur.

Ac Polybii quidem de Plutarcho judicium provocatum est iis, quae de bello ille Cleomenico narraverat. In quo quum et Arato et Achaeis infestior fuisse videretur, nec deessent tamen, quibus probavisset sua, non committendum Polybius ratus, ut „mendacitas cum veritate jam amplius contenderet", abreptum eum partium studio rerum saepe fidem corrupisse accusavit, qui animis fere lectorum commovendis unice intentus, alia temere effinxerit, alia ultra modum auxerit, alia

5) Dionys. Halic. de comp. verb. p. 18. ed. ster. Phrynichus v. καθώς.

denique etiam omiserit. Cujus temeritatis exempla haec a Polybio afferuntur.

De Mantinea primum ab Antigono et Achaeis Arato duce capta Phylarchum sic exposuisse, ut nihil non attulerit, quod aut civium calamitatem aut hostium atrocitatem denotare potuerit. Antiquissimam inde Arcadiae urbem excisam, cives in servitutem venditos, tantamque ab altera parte rabiem et crudelitatem, ab altera miseriam fuisse, ut nemo non Graecorum summo dolore affectus fuerit. Caussas tamen, e quibus hae tam atroces poenae ab Mantineensibus repetitae fuerint, omissas esse ab auctore, quae si reputentur satis, omnem iniquitatis istius speciem tolli. Mantineenses enim, relicta primum sponte sua Achaeorum societate, Aetolis se et patriam tradidisse, deinde autem Cleomeni. Achaeos autem Arato duce quum quarto anno ante Antigoni in Peloponnesum adventum urbem iterum occupassent, tantum abfuisse, ut vindictam sumerent de perfidia civium, ut non modo abstinuerint a fortunis eorum, sed denuo etiam in foedus eos aequis juribus receperint, petentibusque adeo mox praesidium dederint, quod libertatem ac salutem eorum defenderet. Non multo post autem seditione exorta factum esse, ut et Lacedaemoniis urbem tradiderint et Achaeos, qui praesidio iis adfuerint, trucidarint, quo certior ipsorum apud Cleomenem et Lacedaemonios fides esset. Cujus sceleris non alias eos poenas dedisse, nisi ut cum uxoribus et liberis hastae subjecti fuerint, etsi graviora multo meruerint et severiora. Non lamentandos eos igitur fuisse, etiamsi passi quod Phylarchus scripserit fuissent, hunc autem in portentis, quae locutus sit, non solum mentitum esse sed etiam ea mentitum, quae omni verisimilitudine careant. Tegeatis quod urbe capta nihil simile tamen acciderit, quia non eadem istorum culpa fuerit, a Phylarcho plane neglectum esse.

Phylarchum porro Aristomachum dixisse Argivum, clarissima gente natum et Argivorum quidem olim tyrannum sed tyrannis ortum, in potestatem postquam venerit Antigoni et Achaeorum, Cenchreas deductum et tormentis multis interfectum esse, „ut par iniquitas aut crudelitas in neminem unquam mortalium admissa fuerit“; factique ut augeret atrocitatem, voces adeo finxisse, quae ipsis illi tormentis expressae

per noctem a vicinis auditae fuerint, quorum alii facinoris horrentes impietatem, alii diffidentes, alii indignantes, ad domum approperaverint. De qua portentorum loquendorum aviditate non opus esse, ut amplius diceretur. Aristomachum enim, etiamsi nihil praeterea in patriam deliquerit, propter ipsum vitae institutum, quod scelera tantum non omnia complectatur, supplicia quaeque commeruisse, quorum vel maxima severitas nefariam unius illius diei vix expiatura fuerit impietatem, quo Arato, qui ad urbem liberandam Argivorum accesserit, repulso, octoginta civitatis principes, quos conspirasse cum Achaeis suspicatus fuerit, excruciatos coram necessariis eorum necaverit. Auxisse vero Aristomachum flagitia sua eo, quod summo illo Cleomenici belli discrimine relictis Achaeis, qui maximis eum antea honoribus ornaverint (*ἡγεμόνα καὶ στρατηγὸν καταστήσαντές σφῶν αὐτῶν* II, 60, 5), cum civitate simul Argivorum ad Cleomenem et Lacedaemonios defecerit. Non Cenchreis profecto eum, ut Phylarchus narraverit, oportuisse noctu ad mortem cruciari, sed circumductum ubique per Peloponnesi civitates et expositum omnium oculis perire. Sed ne vera quidem illa esse de Aristomacho tradita, qui nihil perpessus fuerit gravius, quam ut mari Cenchreis suffocatus sit.

Videri omnino Phylarchum hoc tantum convenire historico putasse, ut nefaria quaeque atque horrenda referret. De virtute Megalopolitanorum, in eodem bello capta eorum a Lacedaemoniis urbe conspicua, eum ne verbum quidem fecisse, qui memoraverit tantummodo, Cleomenem iis incolumem se patriam redditurum esse spopondisse, si socii ipsi Lacedaemoniorum fierent (*βουλόμενος ὑποδεῖξαι τὴν Κλεομένους μεγαλοψυχίαν καὶ μετριότητα πρὸς τοὺς πολεμίους* II, 61, 4), Megalopolitanos autem tam indigne hoc tulisse, ut oratores regis tantum non lapidibus obruerint. Laudem Megalopolitanorum, quod urbem maluerint et fortunas suas quam foedus Achaeorum relinquere, silentio eum transmisisse, caecutientem scilicet ad pulcherrimas rerum gestarum historiarumque scriptori inprimis celebrandas. — Aliam vero his fraudem accedere. Dici a Phylarcho non minus sex millia talentorum e direpta Lacedaemoniis provenisse Megalopoli eorumque duo contigisse Cleomeni. In quo miram primum exsistere opulentiae Grae-

corum ignorantiam, qua praedae videlicet Megalopolitanae, quae Mantineensem, trecentis ab ipso Phylarcho talentis aestimatam, excedere non potuerit, summam ita supra omnem modum auxerit, ut Atheniensium adeo florentissimas opes exsuperet. Praeterea autem mendacii scriptorem convinci iis, quae de inopia dixerit Cleomenis, qua ut acie dimicaret ad Sellasiam coactus sit, quae nullo cogitari modo posset, si tanta e Megalopoli reportata pecunia fuisset.

In his igitur criminationibus num justum se Polybius et integrum censorem ostenderit, tanto magis est operae pretium exquirere, quod quae ratio Phylarcho fuerit, non aliis ex locis cognosci disertius potest, istudque Polybii judicium id quoque fuisse videtur, quod Plutarchus passim de libris Phylarchi expromsit. In quo illud primum notandum est, quod severius omnino Polybius de prioribus historicis judicavit, e quibus pauci fuisse videntur, qui omni ei ex parte satisfacerent. Neminem fugit, quam acriter reprehenderit Theopompum, Timaeum, alios, quos tamen quis inter eos auctores referre dubitabit, quorum jactura vel maxime nobis lugenda sit? Ac leniuntur revera cumulata illa ab eo in Phylarchum probra, si rerum quae fuerit ratio, accuratius examinemus.

Ac primum quidem, puto, illud constat, Polybium non ita a quovis partium studio alienum fuisse, quin rebus passim Achaeorum, quarum ipse olim administrandarum particeps fuisset, magis, quam par erat, faveret, infestiorem autem justo se Aetolis ostenderet. Hoc ut in aliis animadversum est operis ejus partibus (Lucas Polybius Darstellung des aetolischen Bundes; Flathe Gesch. von Macedonien Bd. II.), ita notari etiam potest in succincta illa de incrementis Achaeorum et de Cleomenico bello narratione. Aratum Macedonici foederis auctorem ut proditae Graecorum Antigono regi libertatis crimine purgaret, rem ita exposuit, ut pericula tantum effugisse eo diceretur, quae Aetoli tum Achaeorum foederi paravissent (Polyb. II, 45). Hos enim, quum vidissent incrementa Achaeorum post Demetrii regis mortem, hoc egisse invidia incensos, ut conciliatis sibi et Lacedaemoniis et Macedonibus, cum his una Achaeorum foedus destruerent; hos igitur et ipsos praecipuos Cleomeni fuisse auctores, ut bellum contra Achaeos moveret, nec tam Lacedaemoniorum ac Cleo-

menis quam Aetolorum principatum sive tyrannidem Aratum advocato in auxilium Antigono depellere voluisse. Tam invisos enim Aetolos avaritia eorum, crudelitas et ferocia reddidisse videbantur, ut Aratus, ne praeda eorum latronum Graecia fieret, cavens, inevitabili tantum necessitati cessisse videretur. De tota autem, quae de eo instituitur, et intricata disputatione hoc tantum verum est, quod Aetoli inde a Demetrii regis, quem communem cum Achaeis hostem habebant, morte languescere coeperunt in amicitia, quae juncta ab iis antea cum Achaeis fuerat, neque Cleomenis propterea consiliis offecerunt. Neque enim eae Cleomenis rationes fuerunt, ut admonitoribus sive instigatoribus egeret alienis, neque tantum illud Aetolorum in Achaeos odium, ut ad pericula plane caecutirent, in quae ipsi aucta nimis interitu illorum vel Macedonum vel Lacedaemoniorum potentia incurrerent. Quid quod auxilium adeo ab iis in Cleomenem petivisse dicuntur, quod, quamquam recusatum est, peti tamen ab apertis hostibus non poterat (Plutarch. Ar. 41), Aratus autem, tametsi nihil non protulisse fertur, quo foederis illius Macedonici dedecus amolliretur, ne verbum quidem de ea re in commentariis suis fecisse videtur? (Plutarch. Ar. 38)

Monenda haec esse videbantur, ut quam incerta ipsius Polybii esset in his rebus fides appareret. Non solam igitur agebat veritatis caussam, neque salva ea, quam agebat, esse poterat, nisi adversariorum simul voces eluderentur. Phylarchum vero, quamquam magnae a Polybio ignorantiae insimulatur, multarum tamen rerum satis gnarum fuisse, ex iis colligere licet, quae de legatorum Megalopolitanorum illa ad Antigonum missione prodiderat (Plutarch. l. l.), haud illa quidem in vulgus nota, et quae ipse propterea fortasse Polybius, qui nihil de iis narratum in Arati commentariis invenisset, silentio non transmittenda esse putavit (Polyb. II, 48).

Sed e singulis quoque, quibus suspecta Plutarchi fides reddita est, apparebit fortasse, Polybium non prorsus aequum se ejus judicem praebuisse. Ac de capta quidem Mantinea quae tradidit Phylarchus, hoc potissimum nomine apud Polybium male audiunt, quod crudelitatis inde in Achaeos ac socios eorum Macedones criminatio conjecta fuerit. Demonstrare enim studet Polybius, justas tantum cives perfidiae suae poe-

nas dedisse. In quo tamen, hoc fere reputandum esse videtur. Capta per nocturnum illum Arati impetum urbe, ut pepercerint Achaei et vitis et fortunis civium, tamen non poterant, ut in foedere eos servarent, quin et praesidium iis imponerent, et mutatis legibus et institutis reipublicae novos eos cives recipere cogerent. Unde nec tanta fuerat, quantam Polybius praedicavit, Achaeorum erga Mantineenses magnanimitas ac liberalitas, neque horum tam nefanda injuria, quin in ulciscenda ea durius egisse vel Aratus vel Macedones videri possent (Plutarch. Ar. 36. 39. Cleom. 14).

Similis ratio est eorum, quae de Aristomacho, tyranno Argivorum, Phylarchus dixisse fertur. In quo Polybii quanta iniquitas fuerit, facile patet, si quis quae c. 59, 5 dicit, cum iis comparaverit, quae antea ipse (59, 1) e Phylarcho retulerat. Non enim Phylarchus voluerat, „Aristomachum non solum tyrannum sed etiam tyrannis ortum fuisse", sed „tyrannum quidem Argivorum sed tyrannis natum". Multum autem ille, Achaeis conciliatus, ad foederis eorum incrementa contulisse videtur, a quo quod paullo ante Antigoni in Peloponnesum adventum deficiebat [6], defendi poterat tum invidia, qua persecutus eum pariter ac Lydiadem, Megalopolitanorum antea tyrannum, Aratus fuerat, tum ipso Achaeorum dissidio. Tam aegre enim Achaeorum longe plurimi tulisse dicuntur Macedonicum foedus, tam pauci interfuisse concilio, quod Aratum aliquot mensibus ante adventum Antigoni *στρατηγὸν αὐτοκράτορα* crearet, ut qui hoc tempore foedus relinqueret, ab Arato potius quam ab Achaeis defecisse videretur. Unde indignum sane supplicium videri poterat, quod Aristomachus, quum recepta ab Achaeis Argivorum civitate in potestatem simul eorum venisset, in mare praecipitaretur, neque, si tale de eo supplicium sumtum est, incredibile videtur, illa quoque quae Phylarchus copiosius fortasse persecutus est, tormenta antecessisse. Ipse quoque Plutarchus testatus est, male de eo Aratum audivisse [7].

6) Polyb. II, 60, 6.

7) Arat. 44. *τὸν δ' Ἀριστόμαχον ἐν Κεγχρεαῖς στρεβλώσαντες κατεπόντισαν, ἐφ' ᾧ καὶ μάλιστα κακῶς ἤκουσεν ὁ Ἄρατος, ὡς ἄνθρωπον οὐ πονηρὸν* etc. *περιϊδὼν παρανόμως ἀπολλύμενον.*

Virtutem Megalopolitanorum, qui patriam maluerint quam Achaeorum foedus relinquere, quod minus laudavit Phylarchus, Achaeus tantum homo aegrius ferre poterat. De praedae e capta Megalopoli summa erravisse Phylarchum, Polybio facile credimus, agnoscimus etiam in eo levitatis notam, quod Cleomenem, quem modo dixisset duo millia talentorum accepisse, mox de continuando bello desperavisse propter pecuniae defectum tradidit; explicari autem rem illam posse judicamus eo, quod Megalopolim urbem, quae ad maximas Graeciae civitates pertineret (Strabo VIII, p. 385 Cas.) ex ambitu magis quam e civium numero vel fortunis censuerit.

Polybii huic censurae opponere fortasse auctoritatem licebit, quam in Agide et maxime in Cleomene Plutarcho Phylarchus habuisse videtur. Non aequius sane hic Polybio de Phylarcho judicavit tum in Themistoclis tum in Arati vita; de his autem pluribus annis ante quam de illis exposuisse [8], et inconstantia quaedam, quam in eo admiserit, eo minus incredibilis esse videtur, quo magis Phylarchi illa ad Cleomenem laudandum propensio Plutarchi rationi conveniret, et ad illud *εἰδοποιεῖν τὸν βίον* idoneam materiam suggereret. Sunt autem haec ejus rei argumenta.

Primum ipse Plutarchus praeter Phylarchum Aratum tantum commemorat, Polybium, Batonem Sinopensem ac Sphaerum Borysthenitam [9], e quibus hauserit. Posteriores autem duo, quamquam passim a Strabone et Athenaeo laudatos, tamen obscuriores fuisse scriptores credibile est, neque eos fortasse, quorum ratio Plutarcho satis conveniret; Polybio, qui in civitate Spartanorum quae gestae essent, neque explicuit disertius neque voluit explicare, in bello tantum Cleomenico describendo uti poterat, sed uno tantum eum loco [10] memoravit; Aratus de institutis Agidis et Cleomenis in republica Lacedaemoniorum, si tradidit, alio tamen ea modo quam Plutarchus

8) Alb. Lion de ordine, quo Plutarchus vitas scripserit. Gottingae 1819. p. 30. 31. 43.

9) Voss. de Hist. Gr. p. 104 et 508, qui tamen fallitur, Batonem dicens in Cleomenis quoque vita commemorari. Legitur ejus nomen tantum Ag. 15.

10) Cleom. 25.

necesse est tradiderit[11]; unde non relinquitur nisi Phylarchus, quo usus inprimis ille fuerit.

Deinde tota fere Plutarchi narratio in laudibus versatur Cleomenis, Lycurgearum videlicet legum sospitatoris, quas nemo extulisse Phylarcho altius dicitur[12]. A quibus qui Achaeorum certe partes sectarentur, tam alieni fuisse videntur, ut e Polybio et qui eum secutus est Livio si quid colligere licet, tyrannis, qui mox exstiterunt inter Lacedaemonios, non multo eum justiorem haberent. Patriam his rempublicam Cleomenes non restituisse sed evertisse videbatur, qui patriam scilicet rempublicam (*τὴν πάτριον πολιτείαν*) eam haberent, quam Cleomenes ab initio regni invenisset, eamque illum ephororum magistratu abrogato, tabulis novis, et novis civibus in rempublicam receptis simili modo, ut posteriores isti tyranni fecerint, corrupisse judicarent.

His singuli denique loci quidam apud Plutarchum addendi videntur, in quibus aut diserta fiat Phylarchi mentio aut e verbis tamen auctoris usurpatum eum fuisse colligatur. In Agidis quidem vita uno tantum in loco Phylarchus commemoratur (c. 9). Hunc tamen non minus copiose de Agide quam de Cleomene egisse, ea ipsa declarant, quae de Pasiphaae oraculo dixisse fertur. De morte quoque Agidis quae referuntur, ita comparata sunt, ut a Phylarchi, quae fuisse videtur, ratione non abhorreant. In Cleomene Phylarchi mentio fit primum c. 5, ubi non committendum esse putavit Plutarchus, ut sententia ejus, de Archidami Agidis fratris morte Cleomenem excusantis, silentio transmitteretur. Tum cap. 8, ubi de sublato a Cleomene ex Arcadia revertente ephororum magistratu sermo est, haec sunt verba: *γενόμενος δὲ τῆς πόλεως ἐγγὺς, Εὐρυκλείδαν μὲν εἰς τὸ τῶν ἐφόρων συσσίτιον ἀπέστειλεν, ὥς τινα παρ᾽ αὐτοῦ λόγον ἀπὸ στρατιᾶς κομίζοντα· Θηρυκίων δὲ καὶ Φοῖβις καὶ δύο τῶν συντρόφων τοῦ Κλεομένους, οὓς Μόθακας καλοῦσιν, ἐπηκολούθουν* etc. Jam quum apud Athen. VI,

11) Spectare huc verba videntur Plutarchi Ar. 38 *εἰ δὲ Κλεομένης ἦν (λεγέσθω γὰρ οὕτως) παράνομος καὶ τυραννικός* et alia eod. cap. In Cleomenis vita c 16. 17. 19 commentariorum Arati mentio fit, sed non ita, ut pro potissimo fonta haberi possint.

12) Plutarch. Ar. 38.

p. 271 hic e Phylarcho locus servatus sit *εἰσὶ δ' οἱ μόθακες σύντροφοι τῶν Λακεδαιμονίων. ἕκαστος γὰρ τῶν πολιτικῶν παίδων, ὡς ἂν καὶ τὰ ἴδια ἐκποιῶσιν, οἱ μὲν ἕνα οἱ δὲ δύο, τινὲς δὲ πλείους ποιοῦνται συντρόφους αὐτῶν* etc., non incredibile est, hujus de mothacibus explicationis opportunitatem fecisse narrationem de ephororum caede, e qua Plutarchus fortasse et ipse sua depromserat. His uberior accedit Phylarchi de victu Cleomenis locus ap. Athen. IV, p. 142, ex eodem libro quinto et vicesimo, e quo ille de mothacibus, quem nemo facile negabit, Plutarchum in Cleom. c. 13 ante oculos habuisse. In pugna ad Sellasiam describenda, quum haurire singula omnia posset e Polybio, accurato imprimis et copioso de ea re, non omisit tamen Phylarchum, proditoris cujusdam, quem inter ipsos Cleomenes familiares habuerit, nequitiae cladem tribuentem. Plutarch. Cleom. 28. Denique ejusdem agnoscimus vestigia in iis, quae de extrema Cleomenis sorte traduntur. Discrepant enim de ea Plutarchus et Polybius, quorum ille, quamquam singula passim verba et locutiones ex hujus narratione retulisse videtur, tamen non solum habet, quae apud Polybium desiderantur (V, 35-39), sed etiam in iis, quae de Nicagora Messenio traduntur, in alia omnia discedit. Hoc ipsum autem argumento est, Plutarchum sua ex eodem fonte hausisse, ex quo illa de Archidami caede ducta sunt. Simultatis enim, quae Nicagorae cum Cleomene intercesserit, caussam Polybius non ex aere repetit alieno, quod a Plutarcho Cleomenes apud eum contraxisse fertur, sed ex Archidami morte, quem Nicagorae hospitem, amicitiae jungendae specie ad redeundum in patriam pellectum, Cleomenes interfici jusserit. Cujus facinoris culpa quum liberatum hunc Phylarchus voluisset, aliam quoque caussam necesse erat afferret, qua Nicagoras Sosibio se ad perdendum Cleomenem obtulisset. Unde non improbabile fuerit, Plutarchum in hac quoque narratione secutum illum auctorem esse.

HISTORIARUM PHYLARCHI FRAGMENTA.

Lib. III.

Athen. VIII. p. 334, A. *Οἶδα δὲ καὶ Φύλαρχον εἰρηκότα που περὶ μεγάλων ἰχθύων καὶ τῶν συμπεμφθέντων αὐτοῖς σύκων χλωρῶν, ὅτι αἰνιττόμενος Πάτροκλος ὁ Πτολεμαίου στρατηγὸς Ἀντιγόνῳ τῷ βασιλεῖ ἔπεμπεν, ὡς Δαρείῳ Σκύθαι ἐπερχομένῳ αὐτῶν τῇ χώρᾳ. ἔπεμψαν γὰρ αὐτοι μὲν, ὥς φησιν Ἡρόδοτος, ὄρνιν καὶ οἰστὸν καὶ βάτραχον· ἀλλ' ὅ γε Πάτροκλος, ὡς διὰ τῆς τρίτης τῶν ἱστοριῶν φησιν ὁ Φύλαρχος, πεμφθέντων τῶν προειρημένων σύκων καὶ ἰχθύων. ἐτύγχανε δὲ κωθωνιζόμενος ὁ βασιλεὺς, καὶ ὡς πάντες διηποροῦντο ἐπὶ τοῖς δώροις, ὁ Ἀντίγονος γελάσας πρὸς τοὺς φίλους ἔφη γινώσκειν τί βούλεται τὰ ξένια. ἢ γὰρ θαλαττοκρατεῖν ἡμᾶς φησι Πάτροκλος, ἢ τῶν σύκων τρώγειν.*

Ad verba *ὅ γε Πάτροκλος* praedicatum desideratur. Itaque aut excidit *ὁμοῖόν τι* sive *ταὐτὸ ᾐνίττετο*, aut totus hic locus ab *ἔπεμψαν* usque ad *ἰχθύων* pro interpretamento habendus est. Sed illud praestat, alteri rationi obstat, quod diserte laudatur Phylarchi liber.. Herodoti locus est IV, 131. Res illustratur a Pausania (I, 1, 1), qui insulam Patrocli prope Atticae littus e regione Laurii montis commemorans, haec addit: *τεῖχος γὰρ ᾠκοδομήσατο ἐν αὐτῇ, καὶ χάρακα ἐβάλετο Πάτροκλος, ὃς τριήρεσιν ἐπέπλει ναύαρχος Αἰγυπτίαις, ἃς Πτολεμαῖος ὁ τοῦ Λάγου τιμωρεῖν ἔστειλεν Ἀθηναίοις, ὅτε σφίσιν Ἀντίγονος ὁ Δημητρίου στρατιᾷ τε αὐτὸς ἐσβεβληκὼς ἔφθειρε τὴν χώραν, καὶ ναυσὶν ἅμα ἐκ θαλάσσης κατεῖργεν.* Res si ante Ptolemaei Lagi mortem, quae in annum incidit 283 a. Chr. (Clinton. F. H.), et quod statui omnino necesse est post ejectum e Macedonia Demetrium (287) gesta est, ad 286-284 a. Chr. pertinet. Nec hoc tamen auxilii Atheniensibus tulit Aegyptiaca classis, quin Antigono mox iterum se dedere cogerentur (Flathe II, p. 46, qui tamen Patrocli illam expeditionem omisit).

Mirabilia sunt, quae ad reliqua explicanda attulerunt interpretes. „Videtur Patroclus“, Casaubonus inquit, „de Ptolemaeo prodendo cogitasse, et tacite cum hoste conspirasse; quem monet ut nauticae curam capessat, aut sciat paratam sibi ignominiam, quae victos sequatur“. Ficus enim edere nihil aliud esse nisi mollius vivere. Schol. ad Aristoph. Vesp. 301. Villebrusius autem vertit illud *τῶν σύκων τρώγειν* „aut ad privatam vitam redire ficusque comedere.“ Sed quomodo vel piscium illa donatio significare possit, navalis rei curam Antigono gerendam esse, vel ficus comedere luxuriosioris sive mollioris adeoque privati vitae generis esse, difficile est ad intelligendum. Ex Aristophane certe ejusque interprete Graeco nihil ejusmodi deduci potest. Patrocli autem, quae fertur, perfidia non ea certe fuit, quin postea quoque Philadelpho regnante Aegyptiacae classis imperium gereret. Athen. XIV, p. 621, A. Manifestum autem primum illud videtur, piscibus illis et ficubus missis simile quid a Patroclo significatum esse Antigono iis, quorum Scythae Darium admonitum voluerint. Inani quadam jactatione, nullam jam amplius salutis viam Antigono relictam esse, designasse Patroclus videtur. Non negligendum enim est, de *magnis* piscibus et de *crudis*[13] ficubus sermonem esse. Sensus igitur esse videtur, pereundum omnino esse Macedonibus, ita ut aut si confligerent mari, in quo plurimum tum valebant Aegyptii, praeda fierent piscium, aut si terra bellum gererent, commeatus interirent inopia, nisi crudis arborum fructibus famem depellerent. Cujus aenigmatis rationem ita vertit Antigonus in rem suam, ut certum jam sibi maris imperium significari judicaret, nisi quod facere non possent facerent, ut crudas ficus comederent.

Athen. X, p. 412, F. *Φύλαρχος δέ φησιν ἐν τῇ τρίτῃ τῶν ἱστοριῶν τὸν Μίλωνα ταῦρον καταφαγεῖν κατακλιθέντα πρὸ τοῦ βωμοῦ τοῦ Διός· διὸ καὶ ποιῆσαι ἐς αὐτὸν Δωριέα τὸν ποιητὴν τάδε .*

Τοῖος ἔην Μίλων, ὅτ᾽ ἀπὸ χθονὸς ἤρατο βρῖθος,
Τετραετῆ δαμάλην, ἐν Διὸς εἰλαπίναις,

---

13) Significatio haec vocis, in lexicis omissa, defenditur Athenaei loco III, p. 80, E. *Δίφιλος δέ φησι τῶν μήλων τὰ χλωρὰ καὶ μηδέπω πέπονα κακόχυλα εἶναι καὶ κακοστόμαχα.*

Ὤμοις δὲ κτῆνος τὸ πελώριον ὡς νέον ἄρνα
Ἤνεγκεν δι' ὅλης κοῦφα πανηγύρεως.
Καὶ θάμβος μὲν, ἀτὰρ τοῦδε πλέον ἤνυσε θαῦμα
Πρόσθεν Πισαίου, ξεῖνε, θυηπολίου.
Ὃν γὰρ ἐπόμπευσεν βοῦν ἄζυγον, εἰς κρέα τόνδε
Κόψας, πάντα κατ' οὖν μοῦνος ἐδαίσατό νιν.

Delatus esse videtur Phylarchus in historiis suis ad ingluviei aliquod exemplum, quod ut illustraret, adjiciendam putavit Milonis memoriam. Laudat de eo paullo ante Athenaeus (p. 412). Theodorum Hierapolitam (ἐν τοῖς περὶ ἀγώνων) et Alexandrum Aetolum. Pausan. VI, 14, 2. 3. De Doriei epigrammate, quod adjecisse verbis suis Phylarchus dicitur, vid. Jacobs. Animadvers. ad Anth. Vol. II, P. 2, p. 190.

